

Q.K. 265 Joh. Boveri



EPICEDION

CLARISSIMI VIRI,

uirtute, doctrina, & eloquentia prae-

stantis, D. IOHANNIS LVCANI (Praetoris)


V. I. Licentiati, & Illustrissimi Prin-

cipis & Domini, D. IOHANNIS

ALBERTI, Ducis Mega-

polensis &c. Can-

cellarij.



ROSTOCHII

EXCVDEBAT STEPHANVS

MYLIANDER.

1562.

Adamo Sibero
Boveris

QK
265

Faint, mostly illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. Some words are difficult to discern but appear to be in a historical or Latin script.

Two faint circular stamps are visible. The one on the left is very light and illegible. The one on the right is purple and contains the text "BIBLIOTHECA" and "M. D. C. C. C. C." (1800).

Additional faint text, possibly bleed-through, located below the stamps. It appears to be a list or index of some kind, with several lines of text.

Partial view of text from the adjacent page on the right, showing the right edge of the text block.



MAGNIFICO ALMÆ
Vniuersitatis Rostochiensis Rectori,
& uiro clariss: Domino LAVREN-
TIO KIRCHOVIO I. V. Docto-
ri, amico & compatri suo ca-
riss: S. P.

IOHANNES BOCERVS
I. V. Licentiatus.

A Micitia nostra, & uis quædam
diurne consuetudinis facit, Ma-
gnifice Domine Rector, & Compater
cariss. ut à Magnificentia tua postulare
audeam, ut hoc carmen lugubre, quod
in obitum clariss. uiri Iohannis Lucani
I. V. Licentiati, & Megapolensis Can-
cellarij, conscripsi, sub auspicio tui no-
minis in publicum edi patiaris. Quod
te facturum summa & propensa uolun-
tate, uirtus tua, & studiorum societas,
quæ tibi cum defuncto communis fuit,
facile mihi persuadent. Taceo enim

A 2 amicitia



amicitiæ & necessitudinis uinculum,
quod inter uos firmæ & perpetuæ con-
iunctionis, certa iam dudum initia con-
stituit, & ultro te ad defuncti Lucani
memoriam, sancte & piè colendam, ad-
hortari potuit. Ego certe hisce corrup-
tis temporibus, quibus rara & fluxa
multorum est amicitia, & uix integri &
boni uiri ab insectatione nefaria, & ob-
treptione maleuolorum & inuidorum
hominum liberantur, nunquam conce-
dam, ut clariss. & integerrimi uiri Io-
hannis Lucani memoria, apud me sene-
scat, & celeriter euanescat. Et idem te,
Laurenti Kirchouii, uir clariss. sentire,
meamq; hac in re uoluntatem & propo-
situm probare scio. Sat enim mihi ex-
plorata perceptum est, te ex illo homi-
num numero non esse, qui leuiter de-
functi amici memoriam æstimant, & su-
bito è pectore suo effluere sinunt. Scio
etiam te toto pectore execrari illos ho-
mines, qui in mortuorum hominum
æstimationem, & famam impetum fa-
ciunt,

ciunt, & eos quos uiuentes, propter
 uirtutis & integritatis præstantiam, re-
 ctis oculis intueri, uix ausi fuerunt, uis-
 ta functos, Theonino (ut aiunt) dente
 arrodunt, & cum horum Manibus &
 umbris, simultatem & odia exercent,
 propterea, quod, donec in uiuis erant,
 suæ impudentiæ & audaciæ restiterunt.
 Nec mihi affirmare licet, an quenquam
 mortalium ea peruersitate & malitia, in
 se reliquerit Lucanus, de quo certum
 est, multos bonos & sapientes uiros, &
 uirtutis & pietatis amantes, egregie
 semper sensisse, & illius uirtutem & do-
 ctrinam, & ingenij acumen, & dicendi
 copiam & libertatem, approbatione &
 commendatione, singulari admiratos
 esse. Parum itaq; refert, quæ fuerit
 aliquorum de illo æstimatio, cum om-
 nes actiones suas eò retulerit, si non
 perfectam & summam consequeretur
 laudem, certe crimine manifesto & cul-
 pa uacaret. Id si quidam credere non
 potuerunt, & secus de illo, quam de bo-

A 3

no uis

no uiro decet, suspicati sunt, id temporū
iniquitati, & communi hominum fra-
gilitati adscribendum est. Cæcis enim
odijs, & sinistris suspicionibus omnia
nostris temporibus inuoluuntur, & re-
cte facta calumnijs, & occulta obtrecta-
tione deprauantur, & innocentissimus
& integerrimus quisq;, à liuoris iniqui-
tate & perfidia, uix se defendere potest.
Et præcipue illud tempus, quo Iohan-
nes Lucanus, ab illustris. Principe Io-
hanne Alberto, ad consilium, & Rei-
pub. gubernationem uocatus est, ualde
tumidum intestinis Germaniæ bel-
lis, & principum odijs ac distractioni-
bus, & uarijs calamitatibus refertum
fuit. Cum id, quod fieri oportebat,
& quod iustum & rectum erat, non fie-
ri, boni dolebant, & mali lætabantur.
Et non solum obstare quorundam ma-
chinationibus & cupiditatibus, uerum
etiam rectè sentire de communis patriæ
& Ecclesiæ salute, periculis non care-
bat, & laboribus difficillimis plenum
erat.

erat. Quid autem molestiæ, laboris, sollicitudinis & defatigationis, una cum Principe suo in his publicis miseris, & in proprio Megapolensi ducatu, feliciter & salutariter administrando, subierit, n̄ rectius quam ego referre poterunt, qui socij eius, atq; participes tantorum onerum & laborum fuerunt.

Qui certe illi præclarum & honestum testimonium integritatis & fidei, & dexteritatis in negotijs conficiendis non uulgaris, & rectitudinem mentis in rebus difficilibus & arduis tribuunt. Et ipse Dux Iohannes Albertus (qui profecto unus, si cuiquam Principum Germaniæ, patriæ communis salus cara & sancta fuit, omnes animi cogitationes, & actiones suas, ad patriæ suæ incoluitatem, & Ecclesię Dei incrementum, & puræ doctrinæ conseruationem & propagationem, incredibili studio & acri labore semper direxit) diligentiam & dexteritatem, & fidele ministerium in Lucano laudauit, & sæpe approba-

A 4

uit, Et

uit. Et se modo ipsius opera, & fideli
consilio destitutum esse, tristi fert ani-
mo. Ego uero toto pectore opto, ut
Respublica, & omnia ipsius Celsitudi-
nis negotia, consilio & prudentia eo-
rum, qui illis præfecti sunt, ita regan-
tur, & administrantur, ne usum extincti
Lucani, sollicitè illustris. Princeps nos-
ter requirat, & cum quadam iactura
sentiatur, & qualem habuerit, & qualem
amiserit in Iohanne Lucano uirum.
Quem cum onera plurimarum molestia-
rum, quibus conflictabatur, & maxi-
mi labores & curæ, quibus premebatur,
uehementer extenuarunt, & mortem
illi accelerarunt, precor ut alij sint super-
stites, & diutius huius lucis usura sa-
lubriter fruantur, qui laborantem & de-
fessam rempub. uirtute & prudentia
subleuare, & recreare possunt. Quos-
rum in numero, cum n̄ potissimū recen-
sendi sint, qui iuris doctrinam in hoc
ducatur Megapolensi exercent, & quæ-
rentibus impartunt; pro te etiam, Lau-
renti

renti, Kirchouí Rector Magnífice, & compater caríssime (cum inter illos nequaquam extremum locum obtineas) uota facio, ut te filius Dei, dominus noster Iesus Christus, spiritu ueritatis regat, & cum negotijs maximis, & causis innumerabilibus occuperis, & ab ijs qui ius à te petunt, & causarum rerumque suarum, in tua dexteritate & fide patrocinium collocant, multum & sæpe solliciteris, ut ille pro immensa sua in nos bonitate, omnia consilia, actiones & operas tuas, fauore suæ gratiæ prospere ret, & feliciter regat, & solum ad nominis sui gloriam dirigat. Teque nobis, & claræ & uetustæ Kirchouiorum familiæ, in perpetuum ornamentum, & coniugi, liberisque dilectissimis in diuturnum solatium & gaudium, quam diutissime me conseruare dignetur. Data

Rostochij, III. Non. Iun.

Anno 1562.

A 5 EPICE



EPICEDION
CLARISSIMI VIRI,
uirtute, doctrina & eloquentia præ-
stantis, D. IOHANNIS LUCANI
V. I. Licentiati, & Illustris: Prin-
cipis & Domini, D. IOHANNIS
ALBERTI, Ducis Mega-
polensis &c. Can-
cellarij.

Quis furor in clades nostras, feralia Parcas
Numina sic armat? toties quid pallida tristes
Mors suadet lachrymas, sperataq; gaudia turbat?
An nihil ó Superi firmum, ualidumq; tenaci
Robore subsistit? leuis at rapit omnia casus,
Resq; hominum cæci rotat inclementia fati.
Non secus in fragili quam moles ardua uitro
Nutat, & assiduos, nullis suffulta columnis,
Prominet in casus, humanaq; pectora terret.
Ter miserum mortale genus, quod semper acerbo,
Subiacet

Subiacet arbitrio mortis, motusq; furentis
 Fortune dubios, in quavis expauet hora.
 Cumq; per instabiles rapitur uanissima casus,
 Et semper filo nutat subnixâ trementi
 Vita, quid est usquam, quo se dubitantia uertant
 Pectora, quouè graues poterint deponere curas,
 Lenèq; solamen recidiui quærecere luctus?
 Heu bona curarum requies hæc una fuisset,
 Si paulum duri præcisa potentia fati,
 Haud sic humanam nullo discrimine stirpem
 Funditus erueret, truncis & uerteret imis.
 Tempus in exiguum saltem sed parceret illis,
 Quos grauis utilitas, & publica gloria cælo
 Euehit, & Superis meritis uirtutibus æquat.
 Nunc sine lege ruit partes furibunda per omnes,
 Et mors immitis grassatur acumine falcis.
 Atq; humiles quatit illa casas, & limina Regum
 Ardua, nec seris, nec parcit mollibus annis,
 Dotibus & nullis hominum, formaq; mouetur.
 Inclemens, & dura nimis: quam parte sub ima,
 Qua coit in centrum tenebrôsæ machina terræ,
 Horrificas inter formas, Erebumq; Chaosq;
 Et furias inter triplices, & Demonas atros,
 Humani affectus expertem, & lucis amicæ,
Progeniit

Progeniuit Pluto, nate uiresq; malignas,
Pallentesq; metus, & iuxta mille dolores
Addidit, & dextram iaculis, & falce sinistram
Armauit, uolat illa procul, totumq; pererrans,
Terret & immiti prosternit robore mundum.
Et flecti lachrimis, & parcere nescia nulli,
Auget de nostra collectos stirpe triumphos,
Atq; cæteruatim nigrum nos mittit ad orcum.
Non secus aduersus brumæ ceu tempore uentus,
Ingruit arboribus, flatu nec amabilis acri,
Et Syluas folijs, & campos gramine nudat:
Fronibus & nullis, & nullis sæuior herbis
Parcit, at ex sæta quicquid tellure creatum est,
Aut domat ad tempus, gelido uel frigore perdit.

Iam quoq; magnorum post funera clara uirorum,
Temporis exiguo spacio, Germania fletu
Quos gemit assiduo, lachrumisq; madescit obortis.
Occubuit rerum longo Lucanus ab usu
Maximus, & fandi uir non ignobilis arte.
Hic iam post alios, lachrumas quibus ipse fideles,
Et fudi gemitus, supremaq; iusta peregi,
Vix à sepositis languentia pectora curis,
In noua diducit lugubri carmina questu.
Ergo ego perpetuis lachrumis, uatesq; querelis

SUMMAS

Sum natus? semperq; meæ nisi triste Camœnæ,
 Conceptas inter curas, luctusq; sonabunt?
 At prius in silices, & si quid durius istis,
 Cor mihi mutetur, quam te clariss. quam te,
 Lucane ut taceam, nostro tua funera uersu
 Nec testis, lachrymasq; tibi, supremaq; dona,
 Mente negem dura. Nec enim tua maxima uirtus,
 Nec labor in Musas illud meruere iacentes.
 Ergo mihi tristes mihi tristia carmina Diuæ
 Fundite, supremos illi soluemus honores,
 Quoq; licet sanctos dicemus carmine Manes.
 Dicemus famamq; uiri, nomenq; perenne,
 In terris sibi quod stabili uirtute parauit.
 Illi contulerat miras fors candida dotes.
 Ingenijq; dedit robur, ductumq; sagacem.
 Semper & in dubijs eius solertia ausis,
 Emicuit, ceu dulce iubar, gratumq; laborem
 Prestitit heroi, quem nomine diues obumbrat
 Gratia, quem uirtus & auitis laudibus effert,
 Inq; Megalburga Sydus ceu nobile terra
 Suspicit, & tanto studijs aurgit alumno.
 Hic Dux Imperium patrijs suscepit in oris,
 Omnia cum tristi trepidabant regna tumultu,
 In se difficili Germania uersaq; bello,

Plurima

Plurima lugebat malefani praelia Martis.
Nec locus ullus erat, quò non penetrarat Erynnis.
Gratia multorum tristi cum rupta tumultu,
Disiluitq; Ducum mota concordia lite:
Fidere cum nimium nocuit, cum prouida uirtus,
Et recti concussus amor, uix sede latebant
Angusta, nocuus quosdam sic abstulit error,
Quos decuit ueteres patriæ sarcire ruinas,
Nulla nec inuitis accersere praelia Diuis.
At pius hic Princeps patrijs submissus habenis,
Officij partes sancta pietate peregit.
Consuluitq; tuis pugnae Germania rebus,
Et tibi sacrorum ritus, legesq; uerendas,
Præstitit incolumes, & sumtis fortiter armis,
Vexatam externo patriam defendit ab hoste.
Hic sed opus caute fuerat cum pondere mentis,
Consilijsq; bonis, ut rectè possit agi res,
Tum bonus ingenio, præstans Lucanus & arte,
Parq; oneri tanto successit, & attulit omnes
Huc uires, ne quid caperet Respub. damni,
Neue Megalburgas quateret Mars impius arces.
Rebus & in duris (nec enim fors undiq; felix,
Adspirat patriæ Ducibus, sed sæpe necesse est
Duras ferre uices, has & superare ferendo)

Hortator

Hortator studijq; fuit consultor honesti,
 Et uelut Æacidæ maturis profuit annis
 Phyllirides, iuuenem cum non dum serior ætas,
 Gnarum consilijs, & rerum fecerat usu:
 Non secus ille Ducem florenti iuuuit in æuo,
 Quem nunc illustrem factis sua præstitit ætas.
 Multa sed interea, rectè dum consulit illi,
 Dura tulit, multos absorbuit ille labores,
 Sæpeq; de multis, studijs quos fouit & auxit,
 Et quos non uerbis, factis aut leserat ullis,
 Sæpe minas, duriq; tulit conuitia morsus.
 Scilicet hæc merces, pro rectis gratia factis
 Illa redit, quisquis populo se iudice sperat,
 Præmia pro merito capturum digna labore,
 Fallitur, & multum cura torquetur inani.
 Testis Aristides, & Cimbro uictor ab hoste,
 Qui redit, & uulgi motus, irasq; furentis,
 Effugiens, uili uix se seruauit in alga.
 Per mala sed uictor Lucanus fortiter iuit,
 Sortis & instabilis discrimina plurima uicit.
 Sed mala dum iusto confringere facta labore,
 Et studuit cunctis sacro succurrere iure,
 Iniustis odijs, & iniqua fraude petitus
 Sæpe fuit, doluitq; nimis, quod candida uirtus,
 Puraq;

Puraq; simplicitas technis oppressa malignis,
Sæpe suæ minui sentit præconia fama.
Attamen infractus, nihil & perterritus ille,
Confisus iustisq; deis, & Principe iusto,
Vicit iter durum, Themidos normamq; secutus,
Signa per obstantes duxit seruata cohortes,
Rupit & obiectas acies, fraudesq; nocentum.
Semper in obtutu mentem defixus honesti,
Iusticiæ casto seruauit pectore numen.
Non illum blando Regina pecunia uultu,
Non amor, aut odium iusto de tramite flexit.
Sæpe requirentes, & plurima dona ferentes,
Ingemuere diu, quod non minus integer esset,
Attonitiq; suo retulerunt limine gressum.
Semper & Astreæ uestigia sacra secutus,
Virtutem statuit sibi præmia sola laborum.
Vlla nec utilitas apud hunc superauit honestum,
Nec uirtus uitium, uerum nec subdola falsi
Oppressit species, uerò cane peius & angue,
Odit, & à sacris Themidos, cætuq; uerendo,
Hos pelli uoluit, uitio quos scædat aperto,
Et rabies innata quatit, uerumq; uidere,
Non sinit optati concepta libido lucelli.
Quosq; leuis fastus, cornutaq; pectora longe,
Ante aliis

Ante alios tollunt, uentis & inanibus inflant.
 Et ius qui precio, nunc his, nunc partibus illis,
 Immemores uendunt fandi pariterq; nefandi.
 Illos exosus, commertia nulla, nec artem
 His sacram iuris, sua nec communicat acta.
 Dexter & indignas fucosi pectoris artes,
 Tecta q; perplexis uulpina sophismata uerbis,
 In nullis unquam rebus, factisq; probauit.
 Nec ius quærentes longis ambagibus actos
 Detinuit, grauibuscq; moris dispendia rerum,
 Et tristes animi curas perferre coëgit.
 At cito complexus causas, & pondera rerum,
 Euentus litis dubios, iurisq; tenorem,
 Et quicquid sancti iustum statuere Themiste,
 Edidit ingenuè, precij nullius avarus.
 Nimirum longo rerum prudentior usu,
 Ingenioq; uigens acri, iurisq; peritus,
 Absq; labore graui, Themidos quæ sancta uoluntas
 Esset, in exhausto præuidit acumine, cumq;
 Sollicite multos iuris Cynosura teneret,
 Illius emicuit pulsa sententia nube,
 Iusticiæq; iubar clara sub luce reduxit.
 Ergo pijs lacrumis te lamentantur ademptum,
 Chære Lucane, sacræ Themidos qui iussa secuti,

B

Sancta

illie



Sancta Megalurgas dispensant iura per oras:
Consilijsq; tuis, & dextris ductibus orbi,
Litibus impliciti, dubijsq; ænigmate iuris,
Solliciti & multum, uotis te sæpe requirent.
Et solitum robur, præstans & mentis acumen,
Suspensi dubijs in casibus exoptabunt.
Si quoq; de studijs laus est bene uelle mereri,
Hic etiam clarias sincero munere diuas,
In nostris prouexit agris, sedesq; quietas
Ut caperent, profugas studijs adiuuit & arte.
Nanq; ducum soboles, alto de summate Regum
Edita, quæ nostro patriam moderatur in æuo,
Dum Phœbi sortem secum miserata iacentem,
Hic ubi Vernouius celsam præterfluit Urbem,
Otia doctiloquis statuit concedere Musis,
Et uere patrias extollere nomine terras:
Hoc opus hic studio quouis prouexit, & ultro
Has obiit partes, & leto pectore gessit.
Multaq; dum magnis ob sunt obstacula rebus,
Impediuntq; pias diuersa negotia curas,
Ne qua premat sacras oriens iactura Camœnas,
Aut cæptum perturbet opus, fractumq; relinquat,
Hic humeris subiit, patrie dominosq; monendo,
Fecit & orando sacris succurrere Musis.

salue

137

Salve magnorum soboles clariss. Regum,
Quæ monitis surdas nequaquam talibus aures
Auertens, per te celeri sed tramite currens,
Ocia doctiloquis fecisti dulcia Musis.
Hinc tua uenturis se tollet gloria seclis,
Stabit & æternum tam clari gratia facti.
Et uos in cineres, patrie duo lumina fratres,
Serius aut citius, cum cana redegerit ætas,
Ossaq; cum scri uenerati uestra nepotes,
Ad tumulum uiolas, & candida lilia spargent:
Attamen Albertum Ioannem fama loquetur,
Tollet Vdalricum sua uirtus. Stansq; sepulchrum,
Fors aliquis iuxta, uestri quò corporis artus
Marmore sub niueo recubant, & thure redundant:
Dum uidet aut uestros pictos in imagine uultus,
Patria de celsis suspensaue signa columnis,
Hi fratres, dicet, fuerant, qui fortiter artes,
Magnis ad patrias reuocarunt sumtibus oras,
Et doctis reditus, stipendiaq; annua Musis,
De patrijs tribuere bonis, ubi piscifer errat,
Nobile Vernouius humectat & anne Rosetum.
At tibi post patrie, sit proxima gratia, patres,
Clare Lucane, pias tu toto pectore Musas,
Amplexus, recte Phœbeia castra secutos,

B 2

Sæpius

137
Sæpius auxilijs, & amica sorte leuabas.
Autor tu nostris subscripsti candide uotis
Nec durus nobis, Phœboq; rogante, fuisti.
Nunc pietate tua, studijsq; fidelibus orbi,
Cernimus, & certæ uenturæ damna ruinae,
Consilijs inopes, animo trepidante, timemus.
Ah utinam felix tua, subsidentibus annis,
Semper & his solum studijs exercita uirtus,
Præmia nunc posset securæ sumere uitæ,
Et procul à curis tranquillos uolueret soles.
Hic ubi lenifico Pretzenica uilla susurro,
Vicinumq; nemus doctas cantare uolucres,
Audit & ad cœlum iucundas mittere uoces.
At tibi parta alio quæ iam sunt ocia regno
Incolis, & nostri ludibria uana laboris
Rides, nec posthac curis innecteris arctis.
At multum nato, & multum lugente marito,
Principe & indignante, & suspirante Senatu,
Occidis, & de te magnas nunc fama sub umbras
Labitur, & notos hoc funere terret amicos.
Fas erat innumerum quassatum mole laborum,
Tædia cum nato curæ lenire maritæ,
Illos & tutos patria defendere cura,
Et res distractas placida componere sorte.

Dijs alijs

Dijs aliter uisum, rutilas & uectus in auras,
 Qua uia Siderei monstrat se candida coeli,
 Nunc longé mundo frueris meliore, sub altis
 Elysijs campis, aut si quid gratius illis.
 Hic inter sanctas animas, cætusq; piorum,
 Et Lauros inter uirides, ubi copia lucis
 Semper adest, & abest quicquid pia gaudia differt,
 Ocia traducis letis iucunda diebus.
 Et quocunq; moues gressus, assurgit eunt,
 Turba tibi quondam sacrato munere legum,
 Et monitis seruata pijs, ubi iudicis urnam
 Expauit trepidans, hæc iam te Manibus addit
 Antiquis, monstratq; locum, quem maximus inter,
 Iuris, Aristides, proceres, colit, hic ubi cælum,
 Felices Zephyros puro dimittit ab axe,
 Et latè circum dulci loca replet odore.
 Nos tibi post curas, onerosaq; fata laborum,
 Dulcia perpetuæ gratamur gaudia uitæ.
 Et Solona colet dum Græcia, dumq; Licurgum,
 Roma Numam, patrijs nos te tollemus in oris.
 Et tua mirati felicitis acumina mentis,
 Annua submissi dabimus tibi signa doloris,
 Nitemurq; tuæ uestigia tendere uitæ.

F I N I S.

ALIVD EPITAPHIVM
Eiusdem IOHANNIS LVCANI, in
quo colloquuntur Hospes &
Viator.

- V. Quis situs hic? H. Queris? breuibus cape: plena las
Cui uitæ series, ac onerosa fuit. (borum
- V. Hic ne Lucanus erat præstans? H. non falleris, ipse
Hic sua post obitus ossa locanda dedit.
- V. Qualis erat? H. uirtutis amans, & plenus honesti,
V. Quod uitæ studium nobile? H. Iuris erat.
- V. Num bene ius coluit? H. non illo strictius alter,
V. Quos studij fructus edidit ille? H. bonos.
- V. Nempe Megalburgis hic Iura fouebat in agris?
H. Vera refers, opus hoc illius artis erat.
- V. Principis ille sui commissa negotia recte
Num subiit? H. magna dexteritate, fide.
- V. Ergo flet extinctum? H. uerè sic arbitror, heros
Ingratus nulli scilicet ille fuit.
- V. Quæ modo Lucano merces pietatis, & actæ
Constanter uitæ? H. regna beata poli.
- V. Hæc quibus auxilijs, cuius uel munere cepit?
H. Saluifica gnati cognitione DEI.
- V. Sit felix, donec nos illum rite sequamur,
Plura rogem patitur non modo tempus. H. abi.


Zc 4567

OK

X2207306

MS

26



Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
[Blue patch]	[Cyan patch]	[Green patch]	[Yellow patch]	[Red patch]	[Magenta patch]	[White patch]	[3/Color patch]	[Black patch]

ON
 IRI,
 a pra=
 CANI (Praetoris)
 i Prin=
 NIS
 ae

LIBRARIATHECA
 KAVIANA

vs

Sibero
 nis

